



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

7. De executoribus ultimarum voluntatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

fir. De testam. ord.

6. Jure tamen speciali non denegatur testimonium legatario & fideicommissario singulari, eorumque filiis puberibus, & aliis, in potestate existentibus, §. *Legatariis autem Instr. eod.* quia cum plerumque testibus aliquid relinquatur, ut fideiiores existant & remunerandi causa, non debet destrui testamentum eo, quod ad confirmationem illius factum est. Neque hinc sequitur, eos esse testes in propria causa, saltem principaliter, & non nisi ex consequenti & secundario: de quo *sup. Tit. de testib. §. 2. n. 6.*

7. Terrio, prohibentur esse testes, quos improbos inestabilesque vocant, id est quibus leges denegant testamenti factionem, aut testimonii dictionem, l. *Is cui §. ult. D. Qui test. fac. poss.* Cujusmodi sunt damnati ob crimen famosum.

Denique notandum hic est, Edicto Principum nostrorum *anno 1611. art. 19.* cautum esse, ne probationes per testes fiant, tantum in contrahentibus, excedentibus summam trecentorum florenorum, sed & in testamentis, quasi plus dictum quam scriptum appareat. Insuper *art. 12.* requiri, ut non solum scribantur testamenta, sed & subscribantur à testatore & duobus testibus, ad hoc vocatis, si scribere noverint: cujus etiam mentio instrumento inserenda sit à tabelionibus & pastoribus.

§. VII.

De executoribus ultimarum voluntatum.

1. *Executores alii legitimi, alii testamentarii, alii dativi.*
2. *Intra quod tempus executio fieri debeat.*
3. *Nullo existente executoro cogi potest haeres solv. ve legata.*
4. *Episcopi omnium piarum dispositionum sunt executores.*

Explicatio jure testandi, sive disponendi in ultima voluntate superest jus testamenti exequendi sive mandandi executioni supremæ voluntatis elegia judiciaque defunctorum. Igitur executores testamentorum, sive sint haeres ipsi & *Si haeres 7. hoc tit.* sive alii, c. *Tua nobis 17. eod.* sive per testatorem dati (quos testamentarios non malè appellaveris,) sive

à Jure constituti, l. *Nulli C. de Episcopis & Clericis* (quos legitimos appellare licet) sive per judicem aut magistratum, quos dativos DD. vocant, l. *Solent iudices §. 1. D. de aliment. & cib. leg.* licet ab initio & re adhuc integra liberum eis sit suscipere officium, tamen eo semel suscepto cogi possunt, vel ab Episcopo suæ diocesis, ejusve Vicario, vel etiam à Principe seculari, ex eo qui ultimam voluntatem defuncti, c. *pen. h. t. juncta Novel. 131. de Ecclesiast. cum cap. 10. & l. Haeres 50. D. de hered. petis.*

2. Idq; intra tēpus à testatore definitum: quod currit non à die facti testamenti vel mortis testatoris, sed à die aditæ hereditatis, l. *Statu liberos 3. §. si quis 11. D. de statu liberis.*

Alioqui nullo tempore à testatore ad exequendum testamentum definito, datur Jure Pontificio anni spatium, eoque elapso, si executores vota defuncti non adimpleverint, sed executionem protaxerint, jus exequendi devolvitur ad Episcopum, c. *Nos quidem 3. d. t. nisi quod ad pia legata dentur sex menses, secundum Panormit ad d. c. Nos quidem.*

3. Quod si nullus etiam testamento executor nominatus sit, potest ipse haeres cogi ab Episcopo censuram Ecclesiasticam, ut explet defuncti voluntatem, & legata solvat: & nisi exequatur, potest ei interdici administratio bonorum defuncti; imò & privari omni commendo, quod ex testamento fuerit consecutus, d. *t. Si haeres 6 h. t. Auth. Hoc amplius Cod. de fidei. commissis, desumpta ex Novel. 1. c. 1.*

4. Dixi cogendos executores, vel haeres defuncti, si executor nominatus non sit, ab Episcopo, ejusve Vicario, vel Principe; nam Episcopi esse executores ultimarum voluntatum, patet ex d. *t. Nos quidem c. Si haeres 6. t. tua nobis h. t.* ac statuit novissimè Conc. Trid. *Sess. 22. cap. 8. de reformat.* ut Episcopi, etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegati, in casibus à Jure concessis, omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate, quam inter vivos, sint executores. De principe verò seculari, etiam in piis causis, constat ex d. *Novel. 131. de Eccl. titulu c. 10 & 11. & d. l. Haeres 50. D. de hered. petis.* Ita ut hanc rem appareat esse mixti fori; sitque præventioni locus, Sanchez *de matr. lib. 2. Dist. 250. n. 1.* nihilque novi quoad hujusmodi pias dispositiones Conc. Trid. statuisse videatur.